

L. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO
DN. FRIDERICO AVGVSTO
ELECTORAT. SAX. HEREDE.
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
DE

**ARDORE
VENTRICVLI**

PRAESIDE

IO. GOTHOFREDO BERGERO
ARCHIATRO REGIO
COLLEGII MED. SENIORE ET PROF. PRIM.

PRO LICENTIA

IMPETRANDI

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES
P. P.

IOANNES TOBIAS HENCKES
BLANCKENBVURGO-SAXO

A. D. XII. IVL. c1o 1500XIV.
IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGAE

PRELO VIDVAE GERDESIAE.



RECTORI MAGNIFICENTISSIMO
FRIDERICO AUGUSTO
DISSENTATIONE
ANDORAE
VENTRIGVILII
IO. GOTTFRIDUS BERGERO
PRAESENTATA
DIE 17. JUNII 1771
JOHANNES THOMAS BERGERO
PRAESENTATA
DIE 17. JUNII 1771



DE

ARDORE
VENTRICVLI

DISSERTATIO INAUGVRALIS

I.

Quam misera sit hominum conditio, tot morborum genera docent, quibus cum uniuersum corpus varie multumque laborat, tum singulae eius partes affici solent. Haud longe abiero, cum vel
A 2 unius

unius stomachi recordatio fidem faciat, quam experimentis incommodorum, quæ ex eius imbecillitate capiuntur, firmam, tam sentiendi molestia gravem. Ex his, præter morsus doloris varios, quibus cruciatur ille, & quos verbo, a Græcis sumto, cardialgiæ nomine nuncupamus, non minus frequens, quam infestus, est ex eodem per gulam in fauces ascendentis, ardoris sensus, qui, nomine a veteribus quibusdam descriptus, apud Hippocratem vix occurrit, a Galeno vero ἔγνασις τῆς σωμαίχης, Germanis vulgo Soda, forte a Sood, vel Sutt, quod ebullitionem significat, appellatur.

II.

Atque hic quidem ardor ventriculi interdum ieiunis accidit, sæpius autem inter epulas, & post cibum sumtum, emergit, atque nunc levius, modo gravius, affligere, & alias durare diutius, alias citius restingui, & cum conatu quodam eructandi, sensuque mediæ quasi viæ, ab expiratione veluti flammea interclusæ, tum quoque deglutiendi difficultate, molestiæ non parum, idque tanta subinde vi, exhibere solet, ut eo affecti, ardentis carbonis æstum percipere sibi videantur.

Aliquan-

Aliquando tamen ructus comitantur varii, maximeque nidorosi, ita, ut ipsum etiam os tandem amarore repleatur. Non raro anxietas quædam ex nausea præcedit, & tenuis ex stomacho, limpidusque, humor profluit. Quicquid vero expressi ventriculo ardoris in gulam & fauces emittitur, id nunc bullientis, aut ferventis instar aceti, mordet, modo amarum, causticum, sæpeque ustum quid, tanquam a calce, refert. Vnde & linguam resiccat, & magnum frigidaë desiderium, langvente admodum ventriculo, affert. Nonnunquam autem, premente etiam fame, sitique, instat, licet præ molestia vix edendi bibendique facultas detur. Quodsi gravius malum, diutiusque, urgeat, affodes, vel inquietudo ingens, quæ nullam corpori requiem præbet, aliquando etiam morsus doloris, & rosio, accedit, ac, geminato ita, auctoque, malo, lapsus interdum virium, tantaque subinde imbecillitas, sequitur, ut etiam cum periculo defectionis animi coniungatur.

III.

Ad hoc malum propensi sunt, quibus, seu natura, sive ex antegressa febris, vel ægritudine alia, præcordia nimio opere æstuant: quibus item

A 3

acri,

acri, acida, ac nidorosa, biliosaque scatet illuvie
 ventriculus, atque a naturali oris potissimum si-
 nistri adstrictione deficit. Quo in numero ma-
 gna pars urbanorum est, qui partim deliciarum
 usu, & crapula, partim otio, & vitæ nimia inæ-
 qualitate, ventriculum offendunt, & varias in eo
 cruditates colligunt. Inprimis autem gignendo
 eidem affectui aptum comperimus victum, qui
 facile fermentescit, atque in acorem, vel nido-
 rem, fumumque, aut fervidam exhalationem,
 degenerat, atque ex cibis constat inprimis dolci-
 bus, pingvibus, ac opimis, saccharo, melle, aro-
 matis, muria, aceto conditis, & sale, vel multo
 atro fumo, ad solem, aut frigora, passis, obdura-
 tisque, aut cum rancido lardo, oleo, vel buty-
 ro, confectis, aut rebus assis, & in sartagine fri-
 xis, lacrymosis item cepis, porris, alliis, cucu-
 meribus, & eius generis fructibus horariis aliis,
 caseo porro veteri, putrive, ac cerevisia recen-
 ti, & crassiore, nec satis defæcata, vinoque, vel
 dulci, rebus causticis, & uti sunt, Hispaniense,
 & Canarium, calce viva, ex marmore, gypso-
 que cremato, infecto, aut aliter fucato, vel aci-
 do novello quovis, musteo, tartarique pleno,
 quo aliquando, sicuti dentium alvearia obsita,
 sic

fic intus ventriculum & intestina obducta, ac veluti incrustata, reperias, ut apud *Pechlinum*, *obs. med. phys. XXVIII, lib. II*, extat. Videas quoque, id quod bene *Celsus* admonuit, *lib. II. de med. c. XXV*, non protinus, quicquid boni succi est, cuique stomacho convenire, sed sæpe eos, qui cibis adsveti sunt durioribus, & concoctu difficilibus, si molles, teneriores, & svavissimos, atque facilimos ad concoquendum comedant, hos corrumpere potius, ac in nidorem convertere, quam conficere, illoque ardore corripiti, mutata vero victus ratione, eo immunes esse.

IV.

A medicamentis præterea acribus, calidioribus, & antiscorbuticis, rebusque causticis, & corrosivis, eundem hunc ardorem induci, eumque subinde graviolem, & cum vehementi coniunctum cardialgia, notum est satis, & vel puer ille apud *Forestum*, *lib. XXV, obs. XXX*, testari potest, cui post haustam aquam fortem præ ardore gula præcludebatur, & suffocationis periculum imminebat. Eodem pertinent, quæ de hoc liquore, ac medicamentis acribus annotarunt *Ronsselius*, *ep. med. IX*, *Seidelius*, *de morb. insanab.*

p. 13,

p. 13, *Heerius obs. med. XV, & Friccius de virtut. venen. med. c. II.* Demum iram, & motum corporis paulo vehementiorem, ventriculo vel ieiuno, & latrante, inediaque paulo diutius vexato, vel cibi pleno, ad ciendum hoc malum non parum valere, ac frequens idem in morbo hypochondriaco, scorbuto, arthritide, calculo, & obstructione alvi esse, usus & experientia docet.

V.

Vt autem quis facile videt, sedem mali ventriculum esse, ex eoque emissis fumis veluti igneis orificium inprimis sinistrum, & coniunctæ huic fistulæ cibalis latera, aliquando etiam orificium alterum, ipsaque eidem continuata intestina, affici: sic illud etiam non difficulter intelligitur, constitutionem illius variam, pro varietate temperiei, perspirationis, & contentorum aliorum, a victu relictorum, aut aliunde transmissorum, tunc demum, & motus, sensusque, ad gignendum hunc affectum plurimum conferre. Hinc enim fit, ut, quæ in temperato stomacho innoxia, inprimisque salutaria, in intemperato, & improbo, ne vitio quidem satis resistere possint. Nihil enim tam bonum est, quod non vitio-

vitiosorum commercio corrumpatur, & quicquid facile conficitur, facile item alteratur, & corrumpitur. Ita lac, quod *Varro, de re rust. lib. II, c. II*, omnium, ait, rerum, quas cibi causa capimus, liquentium maxime alibile, & *Celsus l. c. lib. II, c. XLIX*, ex potionibus valentissimi generis esse, bonique succi, stomacho intemperato alienum est, multamque inflationem ciet, atque in ventriculo minus calido acefcit, in æstuante fuligine & nidore inficitur, nec raro ardorem illum parit. Idem melle, quo nihil fere melius est, fieri, quotidie observamus, ut acredine noceat, & flatu, eoque calidis ac biliosis maxime sit infestum.

VI.

De causa mali proxima hoc minus est mirandum, non inter se omnes convenire, quo magis usu constat, illam ventriculorum disparitatem non nisi sua cuiusque experientia disci, & differentes eius causas, ac qualitates humorum peccantium, non ita semper cognitae esse, ut vulgo opinamur, sed aliter in libris & ore medicorum, aliter in corporibus sese habere. Ego quidem pro causa morbifica habendam putarim materiam quamvis fermentescentem, ac vaporantem,

B

rantem,

rantem, & ventriculum gulamque urere aptam, quæ utique tam indole, quam mole, graduque, varia esse potest. Ac merito quidem veteres multum hic bili tribuendum putarunt, contagione sua, & vapore, quem exhalat, acerrimo, quoquo modo in ventriculum, gulamque, sublato. Namque ea, sale constans acri, sulphureoque, uti cibum subito colliquare, atque in acrimoniam sulphuream & causticam convertere, & cum parte eius tenuiore facile per gulam aspirare: sic non uno nomine ardorem illum parere potest. Quam eius vim experimentum illud Schuylii comprobatur, quo, secto canis vivi abdomine, & ligato iuxta pylorum, ac infra insertionem ductus pancreatici, intestino duodeno, hoc brevi post & vapore acri vehementer distentum, & intenso fervens calore, reperitur. Ut minus a vero alienum videatur, etiam a bile, per tunicas vesiculæ, & incumbentis eidem ventriculi, penetrante, huncque ea regione intus forisque colore suo inficiente, eundem ardorem progigni. Quem admodum in iis, quibus ardor ventriculi perpetuo fere molestus fuerat, se sectione aliquoties deprehendisse, *Platerus* scribit, *Prax. tom. II, c. II.* Verumtamen quo minus uni humori bilioso omnem

mnem ardoris huius causam adscribam, cum alia obstant, de quibus deinde dicitur, tum illud prohibet, quod in picrocholis, & aliquando in fame rabida, quoties ieiunus venter inedia paulo diutius vexatur, ut de se ipso refert *Vesalius, lib. V. de hum. corp. fabr. c. IIX*, bilis sine ardore ex duodeno in ventriculum conscendat, nec raro mera per os reiiciatur.

VII.

Cruditatem porro nidorosam, res est notissima, hic crebro admodum peccare, quam quidem corruptione inprimis pingvium, & dulcium, in nidorem oleosum, amarum, & acrem, fumosumque, gigni, comperimus. Est enim ea pingvedinum natura, ut turgescant coquendo, & intumescant, atque etiam sponte in oleum rabescant, ac saepe vehementer effervescent: sicut de pinguedine balenarum ex *Martinii Itiner. ad Groenland.* constat, eam, doliis inclusam, haud aliter, quam *cerevisiam*, vel vinum, effervescente, & sic magnam partem in oleum resolvi, ab illa vero effervescencia vaporem tam acrem oriri, ut oculos nautarum gravi inflammatione afficiat. Sic etiam mel, quod ad naturam olei quodammodo

modo accedit, *coctum*, si *Hippocratem* audias, *lib. de intern. affect. c. XLV, t. 5, ætiosum est, & ventri adhæret: postea, cum concoctum fuerit, in ventre effervescit, & venter derepente attollitur, & ardet, & dirumpi videtur.*

IIX.

Ab acido quoque malum hoc oboriri, recens fere nostræ atatis est opinio, & ipse iam ante factus sum. Quo tamen uno idem semper excitari, in ea naturarum, assumptorum, & causarum aliarum, quas modo dixi, varietate nemo fortasse pertenderit, præsertim qui considerarit, multos, quorum ventriculi ab hausto vino, vel alias, manifestum spirant, ructant, vomuntque acidum, & qui aceto, succo citri, & acidis aliis delectantur, ardore illo, quicquid etiam comedant, haud tentari, cibosque multos & potus vinosos in ventriculo natura acescere, ac verissimum esse, id quod *Hippocrates* dixit, *aph. I, Sect. IV*. In diuturnis intestinorum levitatibus ructum acidum supervenientem, qui prius non fuerit, signum esse bonum, instaurati nimirum toni, & concoctionis ventriculi restitutæ. Qui enim hunc aphorismum in dubium revocare velit, experientia ipsi

ipsi fidem derogabit. Neque tamen, ubi amarus se sapor ex ventriculo prodit, acidum semper excludendum esse, vel inde patere potest, quod non solum rancidus, aut amarus, & ingratus plerumque sapor emergat, ubi sulphur nimio calore luxuriat, uti oleosa quævis, & dulcia, longa coctione amarescunt, sed etiam idem sapor haud raro ex acido proveniat. Siquidem ex argento, spiritu nitri, vel aqua forti, dissoluto, & in cryсталlos coagulato, sapor nascitur amarissimus, facta vero, ignis ope, utriusque separatione, aqua fortis acidissima, & argentum insipidum, redditur. Idem de lapide calaminari, eodem soluto liquore, constat, claro satis documento, sæpe acidum latere, ubi quis minus id suspicetur, ac vere *Robaultium* dixisse, *phys. p. m. 163*, impossibilia eum tentare, qui de quibusvis saporibus particularem determinare texturam suscipiat.

IX.

Quapropter solum hic acidum perraro peccare putarim, sed nunc cum acrimonia alcalica, nunc biliosa, nunc pingvi & oleosa, aliaque apta materia, luctans & congregiendiens. Sæpe

B 3

etiam

etiam residuum cibi falem plus minus volatilem,
 & sulphureum, eo modo fumare in stomacho,
 atque ardorem parere, vel fassamenta doceant
 varia, piscesque lacustres, & marini, varie sicca-
 ti, quæ omnia, quo magis veterascunt, hoc fa-
 lem magis urinosum, naturaliter ex putredine con-
 ceptum, olent. Quo minus miremur, idem ma-
 lum quosdam esu casei experiri, quem, notum est,
 vetustate in falem converti urinosum, tam acrem,
 ac septicum, ut urinam putridam, eiusque spiritum
 redoleat, & vix naribus perferri possit. Immo vero,
 quicquid in ventriculo fervet, & vaporat, & a-
 cri, seu sulphureo, urenteque halitu mordet, hic
 inter causas referendum esse patet. Quorsum
 quidem, intelligimus, pertinere allia, cepas, porros,
 & eius generis alia, potulenta porro calidiora, ac
 cerevisias crassas, nec satis defæcatas, vinaque, vel
 tartaro facta, vel calce, rebusque septicis, & fer-
 mentescentibus, vel aliis saporum acuminibus,
 imbuta, & fucata. Rectissime *Plinius, H. N. lib.*
XIV, c. 20, tot vinum veneficiis placere cogitur,
& miramur noxium esse? Marmore, & gypso, &
calce condita vina quis non etiam validus expa-
verit; meliusque, si non vasis pix affuit? Et lib.
XXX, c. 1: Sua cuique vino saliva innocentissima,
 sua

sua cuique ætas gratissima, id est, media. Vina vero acida, tartaroque foeta, huc inprimis facere videntur, deposita, relictaque in ventriculo, quæ eum subinde incrustari intus, supra ostendi, tartarea materia, quæ quippe, five in fundo, five ore illius, hæreat, nimio eius calore exiccata, & veluti adusta, cum potu perfunditur, calcis instar, facile ferverescit, & vaporat.

X.

Neque tamen iis, quas commemoravi, causis, & quæ his similes sunt, aliis, comperimus omnes æque affici, sed quosdam illis, alios aliis ardore corripì, iisque alios omnibus nihil molestiæ experiri, quia, ut ex superioribus constat, magna est dissimilitudo & varietas ventriculorum, qua quidem fit, ut iidem alias rebus aliis itventur, vel lædantur. Quorsum inter alia hic facit oris sinistri, quod a cibo sumto constringi debebat, laxitas & hiatus, ob quem liber halitibus ad gulam exitus patet. Atque hæc quidem inprimis cum illo ventriculi orificio patitur, quod iis locis sensus magis vigeat, non tam ob maiorem nervorum copiam, ut multorum fert opinio, quam ob tunicam nerveam, crusta villosa multo

multo ibidem tenuiore, quam ipso in ventriculo, obductam, ac fere nudam. Nam videtur mihi crusta villosa præter usus, quos habet, alios, in ventriculo etiam sensum moderari, suaque varietate efficere, ut ab assumtis aliis alii bene maleque afficiantur. Ab ista igitur fervida exhalatione tacto ore ventriculi, una cum gula, non modo fit molestus ardoris sensus, sed etiam, hunc consequente fibrarum tunicae musculosæ contractione, & intercepta quodammodo exhalatione, non minor deglutiendi, quam eructandi, difficultas oritur, dum, validiore ventriculi contractione subito soluto gulæ spasmò, intercepta ante, & angustis collecta limitibus, elastica materia viam inveniat, & maiore vi accopia ex stomacho prorumpens, ructus pariat. Aliquando etiam anxietas antecedit, & aquosus ore limpidusque humor profluit, cum ebullientium intus humorum impetu commotus, ventriculus, fluctuantem in summitate iuxta orificium laxius sinistrum, bullantemque tenuiorem illorum partem, excludit. Lævior autem ardor est, vel sævior, & nunc diutius, modo ad breve exiguumque tempus, durat, pro sui fomitis, quo sustinetur, conditione. Namque in ventriculo concepta materia modo parciior

parcior est, modo uberior, tenuior, aut crassior, alias plus, alias minus lentoris habens, ideoque in alvo ventriculi vel natans, fluctuansque, vel parietibus eius rugosis, & villis, orique, hærens firmius, ac plerumque pertinacius impacta. Ac huiusmodi quidem tenacis acrisve materiæ rosione ita ingravescere ardor potest, ut morsus demum ventriculi & cardialgia, & alia post alia accedere symptomata possint.

XI.

Ex his, quæ de causis, ardorem ventriculi inducentibus, dixi, harum quoque signa facile cognoscuntur, modo ad naturam cuiusvis hominis, cum hoc malo conflictantis, & indicia, humorum *πρόσασιν*, & quasi præfecturam, demonstrantia, attendamus, & noxia, ac salutaria, cum his conferamus. De Prognosi pariter nil attinet hic multa dicere. Id enim quiuis prudens facile intelligit, ardorem illum pro varia causarum ratione, nunc plus, nunc minus periculum afferre, eumque, qui a cibo & potu originem habet, plus molestiæ, quam discriminis, habere, ac facile cessare, nisi sævior fuerit, atque in cardialgiam transeat graviolem, vel alia ei mala succedant

C

dant

dant. Sæpius prænuncius & comes mali hypochondriaci, scorbuti, arthritidis, calculi, & similibus affectuum, esse solet, ob cruditates ventriculi, quæ vera variorum semina morborum existunt.

XII.

In Curatione ad causas respiciendum est, quæ uti variæ in variis esse possunt: sic varii quidem generis remedia requirunt. Sed usus fere obtinuit, ut, præsentè inprimis malo, urgenteque, alterantia & corrigentia humores pravos, quæ vulgo absorbentia & præcipitantia vocant, adhibeantur, potissimum ex creta, bolo armen. terrisque aliis, chelis & lap. cancr. percar. carpiion. corall. margarit. matr. perl. test. ovorum, conchar. ostrear. off. sepiæ, cornu cervi & ebore ust. ac fossil. crystallo, smaragd. hyacinth. antimon. diaph. & chalybe, ferroque, varie præparatis, constantia. Neque id sine ratione, quod ea remedia & acrimoniam variam, & ebullitionem ac fervorem humorum temperare soleant.

XIII.

De vi quidem acidum alterandi nemo facile dubitat. Nam ideo a plerisque adhiberi consue-

siveverunt. Sed in affectibus quoque aliis eadem prodesse, experientia docuit, in quibus, consentientibus omnibus, acidum nullum reperitur, sed vel falsugo, vel nidorosa peccat cruditas, aut bilis ipsa cietur acrior, & spumat, quam quippe dissociant, infringunt, & frant, atque in aliam mutant indolem, eo prope modo, quo lixivio, e testis ostrearum parato, species decocti amari saporem suum deponere, & quodammodo dulcescere observamus. Ex illis itaque convenientia cuivis eligi, & societate nucis myristicæ, vel macis, croci or. cort. aurant. rad. angel. cinnab. & sacchari, vel conservæ rosac. cum vel sine spir. vitr. aut syrupi aurant. cydon. menthæ, de agresta, gemmarumque quercus, in foliola se explicantium, varia exhiberi forma possunt. Sic quosdam, quibus soda & calculus frequens hospes & hostis est, solo pulvere lapidum, aut chelarum cancr. in mensa salis instar, aut extra eam mace condito, alternis diebus ad drachmam unam sumto, utroque se malo liberare, notum est, atque a *Sommero* annotatum, *Eph. Germ. dec. III, ann. III, obs. CLV.* Suntque huius generis multa admodum, quibus pleni Practicorum libri, quorum scrinia nunc compilare nobis nec placet,

nec vacat. Illud saltem addi meretur, cretam, terrasque alias, alvum plerumque difficilem reddere, neque hæc, & alia, quæ dixi, remedia ita malum semper tollere, quin redeat identidem, & sæpe contumacius fiat. Quin imo vidi multo impotunoque illorum remediorum usu multum damni ventriculo, totique corpori, allatum fuisse. Neque enim, ut vulgaris est opinio, illis alterantibus acetum, aliaque acida, acorem perdunt, quod hic ab iisdem, rebus veluti voracibus, absorbeatur, & poris eorum ac meatibus, quasi vaginulis, inclusus teneatur, sed quod, quæ in phlegmate, sive aqua, dispersa tam multa, tamque exigua, spicula acuminibus suis, motuque continuo, res obvias feriunt, illorum mixtura alterantium, in pauculas, maioresque, coacta crystallos, uti microscopium ostendit, mutatione multitudinis, magnitudinis, aciei, & motionis, vim quoque agendi ita sæpe mutant, ut vix amplius sentiantur. Sed uti fieri facile potest, ut vel liquore motuque assumtorum, vel perspirationis ventriculi, concoctionisve putrefacientis, salia illa concreta, & inter alterantium partes quiescentia, denuo solvantur, atque in pristinae habitudinis spicula diffiliant: sic patet easdem illa
agendi

agendi vires recipere, eundemque adeo ardorem parere posse, ac eum quidem hoc graviolem, quo maiori ante copia congregata, coactaque, fuerunt.

XIV.

Quare aliis salia magis lixivina placent, quod non solum acida irretiant ac implicent, sed etiam adhærescentem intus humorem viscidum, biliosum, & nidorosum, solvant, abstergant, ac temperent, atque ad faciliorem disponent exitum. Ac præsens omnino & paratum esse auxilium in oleo tartari per del. ad guttas aliquot in aqua dato, sæpius sum expertus. Neque raro tincturam tartari profuisse novi. Aliquando etiam nitrum antim. cineres clavell. saliaque herbarum fixa, nitrosa, & tartarea, fervorem contemperantia, & abstergentia, iuvisse visa sunt. Ita *Cnæselius*, *Eph. Germ. dec. 1. ann. 111, obs. CCX*, viro, scribit, consulari, ex potu vini Rhenani gravissimo stomachi ardore vehementer, & per plures dies vexato, ita ut non obstante premente fame, siti- que, nulla tamen sine dolore potestas edendi, aut bibendi, concederetur, frequentem usum salis prunellæ, aqua sambuci soluti, non solum magno

fuisse emolumento, sed etiam successu temporis omnem ardorem abegisse. Idem genus remedii idem modo nominatus autor l. c. refert, se aliis quoque cum fructu commendasse, excepto uno, ex eadem causa graviter laborante, quem, posteaquam sale illo malum non modo non levatum, sed ita auctum observaret, ut vitæ periculum instaret, nec quicquam mucilagines sem. cydon. & similia, proficerent, adscito in auxilium cremore tartari servavit. Inter ceteros nitrum preparatum cum syr. fol. querc. aquave fragariæ, etiam *Riedlinus* laudat, *obs. med. XXXIV, cent. III.* Ac usu compertum est non infrequenti, nullis aliis conferentibus remediis, solum potum fontium calidorum, & acidorum, salis potissimum ope nitrosi, copiosa aqua soluti, auxilium attulisse.

XV.

Præterea vi mitigandi ac frenandi acres, mordaces, æstuque ferventes particulas insigni nota satis, atque apud omnes pervulgata sunt medicamenta gummosa, & glutinosa, ex. g. Arab. tragac. herb. consolid. reg. rad. & sem. alth. malv. cannab. cydon. psyll. melon. cucum. portul. amygd. d. hordeo, & similibus, in quibus aculei
fa-

falium, tanquam in visco, inhærescunt. Cuiusmodi quidem remediis, cum crystall. mont. bolo armen. mellequæ rosac. ac violac. in ardore ventriculi, ex aqua forti, & medicamentis acribus, *Forestus, Ronssseius, Heerius, & Friccius*, l. c. feliciter usi sunt. Eodem, ob gummi resinofum, mastichen & olibanum, ac, propter dulcem & viscosam substantiam, siliquam edulem, sive ceratiam, in hoc malo usurpari sæpe solitam, iure referas. Neque immerito Græci, præsertim *Aetius*, III. *Tetr. Ser. I, c. 4*, & *Dioscorides*, lib. II. *Parab. cap. I*, in extingvendo ardore stomachi diuturno, arcendaque siti, glycyrrhizæ succum, in potu sumtum, aut radicem, ex aqua potam, laudarunt. Namque infusum radicis huius rasæ & incisæ in aqua fontis, ipsa hic experientia comprobat, de qua alios inter legi meretur *Rulandus*, *curat. emp. XXI, cent. IX*.

XVI.

Verum in alterando bilioso humore, præter ea, quæ supra laudavi, etiam acida atque austeriuscula hoc quidem magis conducent, quod non solum humoris noxii vim ac fervorem obtundunt, & consopiunt, unaquæ sitim exstingvunt, sed

sed etiam deiectam appetentiam excitant, & tonum ventriculi confirmant. Qua ratione iam olim, ut apud *Trallianum, de art. med. lib. VII, c. VI*, & *Dioscoridem* l. c. legimus, omphacium, & succi limonum, malorum aureorum, & puni-
corum, in usu fuerunt, atque acidum tartari, & spiritus salis, sulph. vitriol. nitri, præcipue dulces, a multis, ac præsertim *Tozzio, de nat. & curat. singul. morb. P. II, p. 10*, commendantur. Videtur quoque permixtorum acidis humorum fervor temperari, ut succum videmus limonum vehementissimæ ebullitioni sacchari in capacissimo ahenò resistere. Ceterum opportunum remedium, quia æstum ventriculi, fervoremque humorum compefcit, atque os ventriculi abluit, & in arctum cogit, a laudatis Græcis, & *Celfo, lib. IV. de med. c. V*, folius potio frigidæ habetur, qua quidem *C. Plinius Secundus*, cui stomachus natura invalidus, & frequenter intus æstuans erat, sæpius usus memoratur in *ep. XVII. lib. VI*. Alii ex lenientibus aliquod ac temperantibus eidem admiscunt, veluti sunt borraginis, lactucæ, ac præsertim portulacæ, succi, atque hanc quoque ipsam sumendam svadent, præeuntibus nominatis modo Græcis. Sed videas tamen non raro, neque

neque frigida, etiamsi largiore bibatur copia, ut meminit *Scribonius Largus, de comp. med. c. XXIII*, neque aliis alterantibus remediis quicquam hic profici, vel ardorem aliquandiu cessare quidem, sed mox deinde reverti, & diutius graviusque aliquando affligere. Id quod sæpe quidem solius quoque usu sacchari factum esse comperi, ut intermiserit aliquantum malum, sed nunc citius, modo tardius recruduerit.

XVII.

Quare hic provide quidem videndum est, cuius naturæ humor peccet, & aptis huic remediis suo cuiusque consulendum ventriculo, eiusque crasi. Verum perraro his radix mali extirpatur, nisi materia, quæ ardoris causa existit, commode educatur. Ac fluctuantes quidem in ventriculo vitiosos corruptosque humores, vel, si impacti sint eius tunicis, implicatique visciditate tenaciore, vi aliqua incidente ac deterforia detracti ventriculo, excretionique parati, facile aptis ad id, benignisque emeticis, nimirum rad. Ipecac. vel syrupo emet. correcto zvv. & similibus, vomitione eiicientur, vel, si natura repugnet, aut aliud quid illam prohibeat, tutius per

D

infe-

inferiora subducentur, quo purum purgatumque ventriculum relinquunt. Quænam vero huic, vel illi, magis conveniant, omnibus circumstantiis rite ponderatis, peritus Medicus iudicabit. Sed minori offensa ventriculi agent, quæ ex aloe, rheo, fena or. ialappa, magnesiaque alba fiunt, ac conveniens plerisque remedium, ob vim temperandi, detergendi, blandeque subducendi insignem, siliquæ Arabicæ, tamarindi, fructus erit.

XIIX.

Purgato, ut decet, stomacho, salutaria erunt, quæ tonum eius ac perspirationem instaurant, eumque a cruditate vindicant ac defendunt. Cuiusmodi, præter ea, quæ supra laudavi, sunt elix. propriet. c. & f. acido, itemque lixiviosum, volat. & c. rhab. elix. vitrioli & tinct. propr. Mynf. eff. absinth. f. & comp. eff. lignor. carminat. lign. aloes, card. bened. cent. min. chamædr. zedoar. trifol. fibr. bals. Peruv. succini, mastich. tinct. antimon. tart. spir. salis nitrive dulc. sal vol. oleos. & quæ ex g. ammon. galb. atque aromatibus, horumque oleis, nota sunt remedia, ex quibus apta & accommodata cuius recipienda sunt.

XIX.

XIX.

Nihil autem horum valebit, nisi accesserit diæta. Hic opera danda, ut ab illis rebus caveamus, quas malo huic occasionem dedisse, vel illud fovisse, usu didicimus. Quid autem hic cuique potissimum salutare sit, prudentiæ cuiusque & diligenti observationi relinquendum est. Neque inutilis erit ea victus ratio, cui vis inest medicamentosa. Qua ratione quosdam in rad. tragopog. nonnullos in herb. portulac. aliquos in petrosel. alios in acetos. alios in consolid. reg. coctis in brodiis carn. avenaceis, & hordeaceis, itemque in acetariis, remedium invenire observamus. A multis fol. & fl. betonicæ, præsertim in fine pastus, cum frusto panis, ab aliis frustulum cydon. condit. aut diacydonium simpl. magni habentur. Nonnihil etiam dandum est consuetudini, ne subita & inconsulta diætæ mutatione id eveniat, quod *Clementi VII, P. R.* usu venisse legimus. Nam is, diuturno stomachi vitio affectus, cum victus rationem svasu Medici Curtii mutasset iam senex, repente decessit, teste *Schlehdano, lib. IX, de stat. relig. & reip.* Sunt enim sæpe

sape occulta quædam natura, quæ a rebus bonis peius, quæque a malis melius se habeant. Quæ quidem sub artis præcepta non cadunt, sed sua cuique experientia constare debent.



DO A 6374

ULB Halle 3
002 929 228




80

50-8...

1077







29

2. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO
DN. FRIDERICO AVGVSTO
ELECTORAT. SAX. HEREDE.
DISSERTATIONEM INAUGVRALEM
DE

ARDORE VENTRICVLI

PRAESIDE
IO. GOTHOFREDO BERGERO
ARCHIATRO REGIO
COLLEGII MED. SENIORE ET PROF. PRIM.

PRO LICENTIA
IMPETRANDI
SVM MOS IN ARTE SALVTARI HONORES
P. P.

IOANNES TOBIAS SCHWEG
BLANCKENBVRGO-SAXO
A. D. XII. IVL. CIO ICCCIV.
IN AUDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGAE
PRELO VIDVAE GERDESIANAE.

